



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

Cur Deus suos electos sic permittat mori, vt non in vita illorum ostendat,  
cuius sanctiratis sint. lxxvii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

præscius: ut quia castitatem animæ vniuersiusque custodit, humano modo zelans vocetur, quanuis mentis cruciatu non tangitur, & quia culpas percutit, dicitur irasci, quanuis nulla animi turbatione moueat, & quia ipse iummu-tabilis, id quod voluerit mutat, pœnitere dicitur, quanuis rem mutet, consilium non mutet. Et cum miseriæ nostræ subuenit, misericors vocatur, quanuis miseris subuenit, & cor miserum nunquam facit. Et quia ea quæ nobis futura sunt videt, quæ tātū ipsi semper præsto sunt, præscius dicitur: quanuis nequaquam futurum præuideat, quod præ-sens videt.

*Cur Deus suos electos sic permittat mori, ut non in vita illorum ostendat cuius sanctitatis sint.*

*Caput LXXVII.*

**Q**uid est hoc quæso te, quod omnipotens Deus sic per-mittit mori, quos tamen post mortem cuius sanctita-tis fuerint non compatitur cælari? Cùm scriptum sit: Iustus quacunque morte præuentus fuerit, iustitia eius non auferetur ab eo: Electi qui proculdubio ad perpetuam vitam tendunt, quid eis obest si ad modicum durè moriātur? Et est fortasse nonnunquam eorum culpa, licet minima, quæ in eadem debeat morte resecari. Vnde fit ut reprobi quidem potestate contra viuentes accipiant, sed illis morientibus hoc in eis grauius vindicetur, quod contra bonos potestatem suæ crudelitatis acceperunt: sicut idem carnifex qui eundem venerabilem diaconem viuentem ferire permisus est, gaudere super mortuum permisus non est. Quod sacra quoque testantur eloquia. Nam vir Dei contra Samariam missus: quia per inobedientiam in itinere comedit, hunc in eodē itinere leo occidit. Sed statim illic scriptum est: Quia stetit leo iuxta asinum, & non comedit de cadasuere. Ex qua re ostenditur, quod peccatum inobedientiae in ipsa morte fuit laxatum quia idem leo qui viuentem præsumpsit occidere, contingere non præsumpsit occisum. Qui enim occidendi ausum habuit, de occisi cadasuere comedendi licentiam non accepit: quia is qui culpabilis in vita fuit, punita inobedientia, erat iam iustus ex morte. Leo ergo qui prius peccatoris vitam necauit, custodiuit postmodum cadasuere iusti.

*Ex eode.*  
*Pet. int.*

*Gre. ref.*